

IO. BAPTISTAE PIGNAE,

ORATIO IN FVNERE LVCRETIAE DVCIS FERRARIAE.

AD ALPHONSVM II. FERRARIAE DVCEM V.



VENETIIS,

MDLXI.



IO. BAPTISTAE PIGNAE ORATIO IN FVNERE LVCRETIAE

DVCIS FERRARIAE.



AD ALPHONSVM II. FERRARIAE DVCEM V.



I PRISCORVM Sapientũm, Alphonſe Princeps, dogmata ſequeremur, nos animum rerum omnium notitia imbutum hauri re, eſſet potius aſſerendum, quàm nudum & omni cognitione prorſus carentem. nam ſi hunc albam tabellam effingamus, quæ huiuſmodi ſemper remaneat, niſi coloretur, doctrinam, & iudicium nunquàm fieri niſi diſciplina, & experientia, egereq; propterea longo tempo ris curſu id indicet neceſſe eſt. cum autem interdum adoleſcentiores plus ſapiant, quàm ſenes, mentem eſſe puriſsimam, & plenam cunctis virtutibus exi-

ſtimabitur, ſed corporis contagione inquinari. exci tatam vero deq; lethargo ſurgentem multum excellere. alligari etiam in aliquorum membris quę illam tantum retinent, ſuiq; muneris miniſtram liberam relinquunt, ita vt neq; omnino deuinciatur, neque vllo implicato nodo conſtringatur. Qui ita naſcuntur, itaq; ui propria è terrena mole ſubleuantur: & quæq; vincula ſponte diſſoluunt, ratione plurimum valent, atq; ijs aliquando ſunt præſtantes, quæ nec ſcientia nec vſu fuerunt aſſecuti: neque rei cognitæ ſimilitudine vlla comprehenderunt. Lucretia coniux tua amabiliſsima, quàm Alphonſe vt viuentem omnibus officijs vnice dilexiſti, ita è viuis ad cœlites ſublatam magnifica hac ſacrorum pompa pie veneraris, quantum polleat facultas illa, qua inuitis ſenſibus intelligentia & morum moderatio primis ferè annis facile & ſubito vigent, non Hetruſco ſolum patrio ſolo, nobiſq; omnibus declarauit, ſed vniuerſo terrarum orbi. ad cuius extremas partes, beatæ vitæ forma, iuuenili hac ætate abſoluta, fama & fulgore peruenerat. Quas rationes puella hæc, maturæ prudentiæ vix adſcribendas, in quacunq; propoſita re ſtatim afferebat? quibus ſe prudentiſsimam actionibus comprobabat? quæ conſilia ad opus ſemper ab illis, qui ea acceperant, conuertenda? quæ facta omnium oculis & imitatione digniſsima? Effulgebat auguſtis regiæ fœminæ virtutibus, non ſolis muliebribus anguſto tantum loco concluſis, atq; contentis. non ignara tamen artium, quæ cum decoro

exercentùr. Quòd si latum imperium summa cùm gloria administrasset, si ad ardua & excelsa potius eri gebatur, quàm se ad molliora procliuem atq; inclina tam præberet, in iucundis tamen studijs in procerum & matronarum cœtu honestissima comitate & par- cis acutisq́; salibus primas tenere partes videbatur. Tot virtutes formosa facie, fronte pro arbitrio hila- ri atque seuera, graui suauiq́; gestu, quasi syderibus cœlo additis, mirum in modum decorabantur. Cum vero de Medicea familia longo & vario poten tum Principum dominatu, exercituum Imperatori- bus, Reginis & maximis Pontificibus nobilissima prodiret, indeq́; plurimum splendesceret, tum splen dor geminabatur, quod in Atestiniam domum con cessisse seculis innumerabilibus maiorum armis & re gno continuato, perpetuoq́; sanguinis primi riuo, vn de plura per orbem terrarùm eaq́; amplissima impe- ria manarunt longe clarissimam. thalamum ingres- sa, qui Aragonum, Pannoniarum & Christianiss. regum filias acceperat. Honos etiam duplicabatur, quod orta esset genitore, qui consilio, forti animo, & factis egregijs, aduersis tot casibus in illum, ac si essent hydræ capita, insurgentibus, recisis, atq; re- stinctis, nouaque ditione veteri, non veteri cedente, adiuncta, gloriæ, vel potius diuino honori. cuius exi mia cupiditate flagrat, cui se suaq́; omnia dicauit, de superatis infortunijs tropheum erexit. quod orta esset genitrice stirpis in Hispanijs regulorum Toletano- rum in primis illustrissimæ: ingenijque populorum

administrationes & difficillima negocia acutiſsime penetrantis: cura autem domeſtica acerrimi: vt liberorum in liberalium artium exercitatione, atq; in literis & potiſsimum in ſacro cultu educatio aperte teſtatur. Quod ei frater eſſet primo loco natus maximus princeps, cęteri vero fratres vel ſacerdotij, vel militiæ dignitatibus inſignes. ſed quod præter hæc generis ſui ornamenta tibi Alphonſe Duci optimo atque fortiſsimo, cuius laudes ne memorem tua me prohibet præſentia, collocata eſſet. quod nutrimenta, quæ in regione vrbeq; pulcherrima & in paterno regno ſuſceperat, in hac ora ciuitateq; nullis alijs pulchritudine inferiori, & in principatu proprio in adoleſcentiam perduci vidiſſet. Augebatur proſperitas, quia ſponſa & Princeps puerilibus propè annis & eodem penè tempore Dux euaſiſſet. materq; etiam futura, ſi ſuperi longiorem eius apud nos moram tuliſſent. ſed cum in dies cęlum magis mereretur, & fructus pro floribus, acerba ætate non maturos ſolum, ſed præter naturæ legem diuinos, edidiſſet, ita vt diuturnior eius mortalis vita, mortales nimium bearet, contracto in iuuentutem ſupremo ſenio, & ſuprema luce, in hiſce tenebris indicata, ad ſedem redijt, de qua, vt nos ſui exemplo ad certiſsimum bonum accenderemur, deſcenderat. æternoq; igne efflato, nobis hos cineres, vix eius imaginem adhuc ſeruantes, reliquit: hos cineres noſtris lachrymis largoq; fletu madefactos. Vbi ſimulacrum illud, non modo proprij animi, cuius erat hoſpitium, ſed decoris altiſsi-

mi, quo fuerat constructum, effigies? cuius particu-
lam paululum prospicientes, cœlos apertos & beati
æui ver perpetuo floridum intuebantur? Vbi forma
illa ingenua, species illa sublimis & honesta; si maie
statem regiam spectares, veneranda; si vultum pla-
cidum, serena; si vtrunque simul, decenti tempera-
mento admirabilis? Vbi actio illa vere corporis quę-
dam eloquentia? actio illa sedata, alacris, plena mo
destiæ, plena spiritus? qua vndequaq; calamitates,
mœrores, ægritudines, luctus, quod eam ferre non
possent, concidebant atq; disperdebantur? qua vber
rima bonorum omnium copia cumulabamur? Hoc
ne illud ós suauissimum, è cuius fonte aurei sermonis
flumina emanabant? vnde dicta insignia & breuissi-
mę sententię ad bona vitę instituta & ad rectum agen
di vsum formabantur, Mediceorum ipsiusq; potissi-
mum propria? vnde verba nos ad præclarissimas res
gerendas, nobis humo in superna sublatis, impellen
tia? Hæc ne illa iucunda lumina, quæ angelicę faces
virtutis vibrabant? quæ sensus tenebris excussis, tor-
pente animo excitato, radijsq; purissimis purgato,
splendore mentem, ad quam dirigebantur, illustra-
bant atque perficiebant? extincta sunt hæc omnia:
cumq; his omnibus extincta lux huius nostri seculi.
Sed hæc erant spolia: caduca scilicet: nilq; mirum si
consumpta atque hic relicta. Tu vero Lucretia quo
recessisti? quo recessisti Lucretia? in patriã ad Deum:
vt postquàm absens illius munere perfuncta esses, prę
sentia quæ est vera gratia fruereris. Munus tuum fue

rat animorum, qui ſunt hoc in orbe inferiori, adminiſtratio. Nam cum pater Opt. Max. mundum vniuerſum crearet, ſingula diſtinxit: ijſq; moderatores præfixit. turbaſſet enim terra aerem, aqua, ignem: commixto cœlo cum igne, aere, aqua, terra: cumq; cœlo, terra, igne, aqua, aere, niſi elementa ſecreta, certoq; ordine diſpoſita imum ſibi locum vendicaſſent, ſublimi æthereis corporibus aſsignato. quæ vt proprijs intelligentijs ſubſternuntur, ita nos rationis participes hunc globum incolentes, diuinis ducibus, quibus regamur, indigemus. Et quemadmodum armenta humanę cognitionis expertia ab homine cuſtodiuntur, homines pariter uirtuti heroicę ſubiecti heroem principem agnoſcunt. Eſt itaque heros miniſter Dei, a quo finientibus uitę terminis ad ſe reuocatur. ideoq; nouis rectoribus reficiendum eſt humanum genus, ne perdatur, ueris dominis deficientibus. Sed ne hic orbis hoc optimo regimine ſuperiorem ęquaret, hi raro è ſuperis demitti ſolent. rariùs etiam qui ſint admodum egregii. ut pluribus ſeculorum interuallis Iudæi profetæ, Græci ſapientes, magniq; armis atque animis Romani. Quoniam uero uirorum eſt cura publica, ſi fœmina heroica conſpiciatur, quominus uiſum minusq; auditum ſimile exemplum, eo gloria maior, maius etiam diuinæ prouincię argumentum. Maius præterea ſi officium ſuum citius abſoluat. quia uirtus magna uehementer lateq; perfuſa, motus celeritate temporis breuitatem compenſat. Noſtra itaque domina

heros

heros, tanquam radius apparens una & recedens, nulla penè mora hic retardata, quanta diuinitate præstaret, noſtrum tanta re obiecta habes ingenium cogitationem nequit cogere, ut intelligentiæ referat. Ita libere, expedite, appoſite quicquid animo intenderet perficiebat, ita delitias luxum & propria commoda recuſabat; ita in proſperis æque ac in aduerſis quieſcebat; ita poſtremo cruciatus diuturna primum ægrotatione deinde acuta grauiſsimos pertulit, morbum contempſit, mortem irriſit; ut corpus non ſepulcrum, quo humaretur: non carcer quo clauderetur, non ueſtis pro indumento, non uelum pro tegmine, ſed umbra eſſet leuiſsima: quam uix ſentiebat: qua impediri poterat, ſi tenui nube ſoli aduerſa dies adeo tetra caligine, & craſsis tenebris offundatur, ut eſſe deſinat. Mens diuina nunc ſtelliferi domicilii incola, niſi te auguſtæ animæ, ueluti ciuem recenti aduentu iteratis complexibus fouendam prorſus ad ſe traducant: niſi te totam immenſa inſpectandi Creatoris uoluptas ad curas nimis ab hiſce diuerſas nimis alliciat, attrahat, rapiat; aciem tuam huc dirige. Aſpice Alphonſum tuum quem toto corde amaſti, quem ſemper cunctis humanis rebus prætuliſti, te lugentem, quod tuo coniugio, dilectiſsima & tutiſsima ſocietate, ſolo uitę ſuæ ſolatio ſit deſtitutus. qui nulla poterit conſolatione leniri, niſi tu aliquam è miſerationis pelago deriuatam in eius pectus angore exulceratum infundas. Aſpice populum tuum, tuo principatu fœliciſsimum, qui te colit, tum ut eius

principem, tùm ùt cœlo consacratam, ac si ipsum tranquillitate illa uigere adhuc cupis, quam non minus ei comparabas, quam exoptares, tuis precibus Deo coniunctis coniugi, uitam incolumen, & res secundas exora.

DIXI

Habita Ferrariæ vi. Cal. Maij. MDLXI.